

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. XI. De Sadduceis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

CAP. XI.

De Sadduceis.

I. **Q**Uod attinet etymologiam hujus nominis, duæ sententiæ sunt, quæ verisimiles videntur. Quidam enim deducunt eam à צדק *Justitia*, quasi fuissent *justitiarum*, (1) qui se coram

Monachi, & inter hos præprimis Jesuitæ, gens proavis suis Phariseis ex affe simillima. Nam: 1. Prouti vocabantur illi *Pharisei*, h. e. *separati*; sic Judæi hodie Monachos *Phariseos* appellant, quoniam vitæ moribus, regulis, ædibus, vestibibus separati vivunt, inque iis singularem sanctitatem collocant. 2. Gloriabantur Pharisei cathedrâ Mosis & clave cognitionis; sic Jesuitæ. 3. Æquabant traditiones patrum verbo Dei scripto; sic Pontificis satellites Jesuitæ. 4. Extollebant liberum arbitrium; sic Monachi. 5. Docebant sanctitatem operum externam seu opus operatum, ignorantes fidei in Messiam naturam; sic Ministri Papæ. 6. Opera supererogatoria jactabant; sic illorum posterii, Papales Monachi. 7. Jejunia, preces longas, certas certisque horis fixas pœnitentias crepabant; sic Monachi. 8. Filios ab honore parentum abducebant *Matt. XV. 6*, sic hodierni Pharisei. 9. Viduarum ædes devorabant, hominibus grave jugum imponebant, Prophetas Christumque persequebantur, singularem pietatem mentientes, in aulis regum versabantur, ac terras mariaque obibant, ut proselytum facerent; sic Jesuitæ. Vide *Burman. Histor. Eccl. cap. 16*. Et utinam illi soli!

(1) Qui ipsos derivant à צדק vel צדיק *justitia*, *justus*, putant ideo se tali nomine condecorasse, ut suam צדקתם testarentur; veluti Hæretici quondam dicti sunt *Puritani*, & *Gnostici* & ipsi *Turcæ* se *Musulmannos*, h. e. *orthodoxos* &c. dicere amant. Sed rectè Autor ait, potius derivari etymologiam à *Sadoko*, quàm à צדיק, tum enim dicendum esset צדיקים non צדוקים.

coram tribunali Dei ausint justificare, *Epiph. lib. I. cap. 14.* Alii derivant, & quidem solidiori fundo, à *SADOC*, primo hujus Sectæ autore; uti *Arrianos* ab *Arrio*, *Pelagianos* à *Pelagio*, *Donatistas* à *Donato* &c. *Ὅτι ἀρεσιάρχης Σαδῶν ἐνομαζέται.* *Theophyl.*

II. Hic *SADOC* vixit sub *Antigono Socheo*, qui secutus est *Simonem Justum*; fuitque discipulus *Antigoni*, imbutus doctrinâ *Phariseorum*, etsi deinde descisceret ab eo, Sectamque *Sadduceorum* pareret. Quùm autem magnam cum hæresi *Dosithei* affinitatem communionemque haberet, propterea *Sadducæi* dicebantur esse γέννημα *fœtus Dositheanorum*; *Epiph. her. 14.* item *Tertull. de præscript. cap. 45.* licet *Dositheus* post Christum esset in vivis. *Origen. contra Celsum.*

III. Etsi autem insignis affinitas inter duas has hæreses intercederet, dissidebant tamen in re magni momenti. *Dositheus* scil. credidit resurrectionem mortuorum, *Sadducæi* negârunt; & sic per consequens *Dositheani* affirmabant omnes articulos, qui necessariò ex illa resurrectionis fide fluunt. *Epiph. her. 13.*

IV. *Causa* hujus Sectæ hæc fuit. Cùm *Antigonus* doceret, nos Deo non debere obedire tanquam servos suis dominis, spe mercedis; (2) *Sadoc* &
Baithus

(2) *Sadduceorum* magister *Antigonus Socheus* solebat dicere suis, non esse serviendum Deo, quasi ex pacto accipiendi mercedem. Discipuli hoc ita sunt interpretati, ac si dixisset, Deo esse serviendum sine spe retributionis. Quem-
admo-

Baithus discipuli ejus, putantes, ipsum negare omnem futuram *ἀνταπόδοσιν* retributionem, præmi-umve bona opera sequens, inde effinxerunt suam hæresin, negâruntque resurrectionem mortuorum, seculum futurum, Angelos & Spiritus. *Aboth. cap. I.*

V. Eorum dogmata, canones vel constitutiones hæ fuerunt; 1. Respuerunt Prophetas cæterosque Scripturæ libros, (3) excepto eo, tradidit arcano quodcum-
que

admodum hoc tempore Scholastici solent dicere, Deo ser-viendum esse gratis, quod egregiè explicat *Jansenius* in suo *Augustino*, in hunc modum, Deo non esse seruiendum ob aliud. Rectissime! nam amor Dei nullam aliam ratio-nem habere potest, quàm amabilitatem Dei, & quòd is sit bonum, & summum, & nostrum. Sed quidam hæc sententiã ita abutuntur, ut dicant, potuisse hominem ob-ligari ad obedientiam sine ulla promissione vel spe. An-tigoni discipuli si similia conceperunt cum Stoicis, vir-tutem nempe sibi met esse prægrandem mercedem, & propter se amandam exercendamque, non errarunt; nam illa in seipsa continet præmium, & fructum, sicut viti-um pœnam, & rei speique jucundissimæ carentiam. Sed male ex hoc concluderunt, non esse resurrectionem. *Cocc. sel. Diss. p. 107, §. 24.*

(3) Multi censuerunt Sadducæos esse propaginem Sa-maritanorum, solum Pentateuchum retinentium, ne ex Prophetis invitis oculis legere deberent, non montem *Carizim*, sed *Tzionem* electum; verùm frustra; siquidem Sadducæi, Hierosolymitano templo adhærentes, satis testantur se amplecti omnes libros Canonicos; non enim ex libris Mosis habebant, Deum solum suum constituisse in *Tziona*, sed ex libris Prophetis. Deinde duæ rationes adhuc suadent, Sadducæos non esse averfatos cæteros sa-cros libros. 1. Quia in Talmude occurrunt disputationes eorum cum Pharisæis de resurrectione, ubi argumenta &

Pro-

que volumine Moses; ob quam rem Salvator noster confossurus errorem eorum de resurrectione mortuorum, argumenti sui telum non ex *Prophe- tis*, sed *Exodo* depromit cap. 3. 6. *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi.* *Matth.* XXII. 32. *Vid. Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 18.*

VI. 2. *Rejecerunt omnes traditiones. Elias in* צדק. *Propterea nuncupabantur* מיני *Minai, h. e. Hæretici, respectu generalis oppositionis Phari- sæorum & ipsorum. A. Quia Pharisei soli Ca- tholici & orthodoxi reputabantur. B. Quia Pha- risæorum doctrina veritati propior erat, Sicque respectu oppositionis particularis; cum alii con- culcarent traditiones, alteri inculcarent. Hinc etiam Sadducæis impositum est nomen* קראי *Textuales, (4) Scripturarii. Drus. de 3. Sect. l. 3. cap. 3. pag. 130.*

VII. *Prophetis depromuntur. 2. Quia S. Scriptura, si eo errore fuissent infecti, id non silentio pressisset. Act. XXIII. 8. Matth. XXII. 23. Marc. XII. 18. Luc. XX. 27. Ejusdem sententiæ est Cel. Spanb. Dub. Evang. 29. part. 3. qui citat Josephum testantem, quod Sadducæi amplexi sint* *πῆντα τὰ γράμματα totam scripturam.*

(4) Vocati quoque sunt ביתוסים *Baithosæi à Bai- thoso Sadoki condiscipulo; differre tamen eos dicit Hot- ting. Phil. l. 1. cap. 1. sect. 5. Item Epicuræi, quia cum his negabant futurum seculum, hujus mundi & vitæ bonis fa- turi & contenti. Eaque propter Esras, cujus tempore ea hæresis (postmodum Sadducæorum dicta) pullulasse dicitur, Sadducæis quàm maximè resistens, dedit Orthodoxis ali- quod Symbolum, quo ab Heterodoxis distinguerentur: nempe decrevit, ut ad coronidem omnium orationum, quæ in templo fundebantur, adjiceretur, à seculo in seculum, מן העולם עד לעולם: quam clausulam & Christus orationi, quam discipulos docuit, annexit, εἰς τὸς αἰῶνας,*

VII. 3. Bonis operibus denegabant omne præmium in futuro seculo, malisque supplicium; ob id Paulus, cognito, unam partem in Synedrio esse Sadducæorum, alteram verò Pharisæorum, clamavit; De spe & resurrectione mortuorum in iudicium vocor. Act. XXIII. 6.

VIII. 4. Dicunt μή εἶναι ἀνάστασιν νεκρῶν non esse resurrectionem mortuorum. Act. XXIII. 8. Matth. XXII. 23. Luc. XX. 27.

IX. 5. Asserebant animas hominum in morte annihilari. (5) Joseph. de bello Jud. l. 2. c. 12.

X. 6. Negabant existentiam Angelorum & Spirituum. Act. XXIII. 8. (6)

H

XI. 7.

(5) Hic cardo est totius hæresis Sadducæanæ, & inde deductorum dogmatum; ex quo cardine quoque pendent officinæ & lacinix Socinianorum; sed hos cum illis optime retundit responsio Christi Matth. XXII. 32. Deus est Deus Abrahami &c. h. e. merces amplissima. Si enim Deus est Abrahami Deus, tum est quoque Abrahami perfecta & consummatissima felicitas; ratio est, quia, quando Deus alicujus Deus κατ' ἐμφασιν dicitur, necessario subintelliguntur Dei virtutes, Bonitas, Amabilitas, Suavitas, Vita, Lux, &c. Si autem Abrahamus tum non vixisset quoad animam, quomodo Deus ipse Deus, ipse merces, ipse beata vita fuisset? Heb. XI. 16. Hanc pestilentissimam doctrinam Sadducæorum multi divites, quos pompa & vesana cupido hujus mundi occæcaverat, sequebantur. Vid. Joseph. Antiq. l. 18. cap. 2. Cocc. in Matth. XXIII. 2. Hæc doctrina etiam regia via est ad campum flagitiorum; unde Sadducæi omnium pessimi fuerunt, teste Josepho de B. J. l. 2. c. 12. vid. plura cap. X. not. ad §. 1. præfigurantque homines in eminentiori loco & sorte constitutos & mundum amantes.

(6) Error Sadducæorum de mortalitate animæ sine dubio inde natus est, quod considerarent animam, tanquam

XI. 7. Tollebant penitus omne fatum & providentiam, dominium integrum libero hominis arbitrio deferentes. *Joseph. l. 13. c. 9.*

XII. Samaritani & Sadducæi valdè affines sibi erant, discrepabant tamen; nam I. Samaritani sacra perficiebant in templo montis *Garizim*, Sadducæi

quam aliquam corporis qualitatem, quæ cum ipso corpore pereat, aut tanquam subtilissimum aërem per corpus diffusum, qui dissipetur collapsio suo organo. Nec mirum est alias hæreses ortas, quæ hallucinantur circa spiritualitatem animæ. Sadducæi ergo, malè acceptâ animarum essentiâ, negarunt earum veram spiritualitatem, h. e. exuto corpore existentiam. Hinc loc. cit. *Act. XXIII.* dicuntur negare πνεύματα *Spiritus*, eorumque ut & Angelorum spectrorumque existentiam & apparitionem. De quorum apparitionibus sanius sentiebant Discipuli Jesu. Vide *Matth. XIV. 26. Luc. XXIV. 37. Act. XII. 15. &c.* Veruntamen multi hîc hærent, dubitantes πνεύματα καὶ τὸς ἀγγέλους per animas humanas aut Angelos bonos exponere. *Scaliger* rotundè fatetur se hoc dissolvere non posse; quia non capi potest, quodd Sadducæi recipientes (juxta communem sententiam) Pentateuchum, ausi sint negare Angelos; cum toties apparitionum Angelicarum mentio fiat. Proinde non fore spero τὸ ληθῆναι, si ego per πνεύματα statuo animas intelligi, & per ἀγγέλους malos æque ac bonos Angelos. *Jud. 6. 2. Petr. II. 4.* Objicienti, Sadducæos ex obsessis tempore Christi existentiam Diabolorum observasse; respondeo illos forsan habuisse omnes obsessos pro mente motis, aut naturali aliquâ causâ ratione deturbatis, velut sunt σιληνιαζόμενοι *Lunatici*, quibus Lunæ vicissitudo infesta est. Quam sententiam tuetur insanissimus liber *Beckeri*, pastoris Amstelodamensis, *Mundus Fascinatus* dictus; quo Libro & Sadducæi hodierni, sive homines hujus seculi, summopere afficiuntur, & Autor testatus est, se ignorare & Deum, & angelos, & scripturam. *Matth. XXII.* & ecceâ saltem ratione uti & duci.

ducei in Hierosolymitano. *Epiph. tom. 1. lib. 1. her. 14. 2. Samaritani non utebantur familiariter (7) Judæis. Job. IV. 9.* Imò mutuū odium adeo Samaritanorum Judæorumque animos inflammaverat, ut Judæis non liceret edere aut bibere cum Samaritanis. *Quomodo tu Judæus quum sis, potum à me poscis, quæ tamen sum fœmina Samaritana? Job. IV. 9.*

XIII. Et cùm omnibus gentibus facultas esset concessa & libertas accedendi ad Judaïsmum & profelytismum, solos tamen Samaritanos eâ libertate ferale Judæorum odium indignos censebat. Id liquet ex solempni ista anathematizatione, quæ dicitur: *Excommunicatio in secreto nominis tetragrammati. Drus. de trib. sect. lib. 3. cap. 11.* Modus ejus, uti in Samaritanos (prout ajunt) à Nehemia & Esra fulminata est, ita se habuit: *congregant totum populum in templo Domini, adducentes 300 Sacerdotes, 300 tubas, & 300 codices legis, totidemque cantores; resonantibus tubis cantantes Levitæ devotent Samaritanos, omnis generis execrationibus, in secreto nominis tetragrammati Jehovah, & in decem præ-*

H 2

ceptis,

(7) Quando Evangelista dicit, *ὁ γὰρ συγγεῖνται Ἰουδαῖοι Σαμαριταῖς*, non vult, ipsos nullum commercium cum ipsis habere; Judæi enim mercaturam non abnuerunt etiam cum quibusvis gentibus; nec intelligit, Judæos non uti Samaritanis, nam in *Gloss. in Kidduschin fol. 76. 1.* & *Hieros. Jevamot. fol. 9. 1.* dicitur, Samaritam farinam suam deplere posse in domo Israelitæ, & Israelitam *Cutheum* circumcidere posse; quæ præsupponunt, quod cum *Cutheis* aliquis usus fuerit. Sed hoc intelligit Johannes, quod Judæi non utantur Samaritanis, ita ut iis ob aliquod beneficium devinciantur, aut ab iis aliquid accipiant gratis, aut petant mutuò. Sic *Otto Lex. Rabb. p. 583.*

ceptis, & cum execratione sublimioris domûs judicii, & quoque cum execratione inferioris domûs judicii, ne quis comedat panem Samaritani, (hinc inquiebant, eum, qui vesceretur panem Samaritani, similem esse illi, qui vescitur suillâ) nec permittatur Samaritanus fieri profelytus in Israël, adeoque portionem habere in resurrectione mortuorum. R. Gerson prohibuit reclusionem epistolarum sub pœna hujus anathematis, Buxtorf. Epist. Hebr. p. 59. (8)

XIV. Hôc firmantur ea, quæ præmissa sunt, scil. nullum vitæ usum commerciumve inter Samaritanos & Judæos fuisse. Sadducæi autem fruebantur familiari consuetudine aliorum Judæorum, ac Pharisæorum quoque, in idem Syne-drium cum ipsis asciti. Act. XXIII. 6.

XV. Conveniunt autem Samaritani & Sadducæi in hisce: 1. In rejectione omnium aliarum constitutionum. 2. In rejectione omnium aliarum Scripturarum præter

(8) Rationes tanti odii fuerunt; quia, ut utar verbis Seldeni de Jur. N. & G. l. 2. cap. 5. quod angustius post defecti-
onem erat vicinitatis interstitium, eò vehementior flamma odii surgebat. Sicut inter cognatos, ubi nascitur similtas, in-extinguibilis fermè inimicitia ignis ardet, ita inter Judæos & Samaritanos, qui sibi religione quadantenus affines erant; Quia sine dubio Judæos gravissimè offit, quod Samaritani se Judæos profiterentur, quando prosperarum rerum Zephyri afflarent Judæos, se verò eos esse negarent, ubi graviter incumbentes Noti ipsos premerent. Joseph. Antiq. l. 12. c. 7. Quod odium Judæos eò duxit, ut non solum prohiberent omne convivium cum illis, sed ut etiam pro rejectaneo haberent eum, qui acciperet à Samaritano eleemosynam. Cocc. Sanb. cap. 3. §. 3. not. II.

præter libros Mosis. 3. Insciatione (9) resurrectionis, & consequentium exinde, ut futura pœna & præmii secundum hominis opera. Samaritani verò contra Sadducæos existentiam Angelorum tuebantur. Ad majorem fidem hujus consensûs & dissensûs inter eos, lege Epiphanium Her. 9. § 12.

XVI. Quod attinet Samaritanos, tres mutationis gradus in ipsorum religione observatu digni sunt. [1] Erant Coloni, quos Salmanassar in Samariam deduxerat, Israëlè in Assyriacam captivitatem missò, colebantque Deos suæ gentis. (10) 2. Reg. XVII. [2] Videntibus autem se interfici à leonibus, quum non vererentur Jehovah, submitit Rex Assyriæ unum ex Sacerdotibus captivis, ut illos imbueret vero Dei cultu; quem cultum etsi reciperent, nolebant tamen valedicere patriæ idololatriæ, sed mistâ & confusâ utrâque religione, & Deo vivo & mutis suis idolis procumbebant. [3] Manasse frater Jaddi Pontificis Hierosolymitani, ductâ in matrimonium filiâ Saneballathi Horonitæ, mandato Nehemiæ de dimittendis mulieribus peregrinis eò angustia redactus, ut vel uxorem vel spem Sa-

H 3

cerdo-

(9) Nón sine ratione multi diffitentur, Samaritanos negasse resurrectionem; erroremque exinde ortum esse dicunt, quòd cum Sadducæis subinde confundantur. Ad do, compertum esse, quòd Judæi ipsis Samaritanis ex odio multa affricare studuerint, quorum tamen argui non possunt. Nota est fabula de columba, quam adorasse dicuntur à Judæis.

(10) De his Diis, quos penes Deum coluerunt Coloni isti, agetur lib. 4. cap. 7.

cerdotii abjicere deberet, ope Saneballathi potestatem nactus est ab Alexandro Magno extruendi templum in Garizim, monte Samariæ altissimo; ad quod deinde plurimi apostatarum Judæorum confugientes Pontificatum Manassæ arrogârunt. (11) Tum erupit Secta Samaritanorum, quos

(11) *Samaritani*, uti in genere præfigurârunt omnes hujusmodi homines in Christianis, qui duobus Dominis h. e. Deo & mundo, seu Deo & Divitiis, unâ servire se posse putant, & propterea velut Chamæleon variam faciem induunt; Sic imprimis insignis typus *Pontificiorum* fuere: 1. Dum horum caput se vocat מִשְׁרֵט custodem animarum, & tamen est רֹעֵה אֹיִם pastor stultus. *Zach. XI. 15.* uti Samaritani dicti sunt à מִשְׁרֵט custodire. 2. Pæculiare templum extruxerunt Samaritani beneficio Alexandri Magni; Pontificii jactant donum Constantini. 3. Samaritani & Deum verum & alios Deos coluerunt; quid faciant Pontificii, notum est. Memorabile est, quod Jesuitæ Americanis, Christianam religionem amplexis, idola domestica colenda indulserunt, & quod Christianis, in China vel India orientali negotiantibus, permiserunt adorare terculamenta Indica, modò in oculis crux lateret. 4. Samaritani in monte *Garizim* cultum exercuere ex mera *ἰεροδρασκεία*; talem cultum exosculatur Pontificia religio. 5. Samaritani nesciverunt, quid adorârint *Job. IV.* quia non ex fide & ex mandato Dei adorârunt; Pontificii panem in Missa adorantes, quid adorent, nesciunt; contentur nullibi exstare, Christum sub speciebus panis esse adorandum. Possunt & *Lutherani pertinaciores Samaritanis* aliquatenus comparari, (quod tamen sine ullo odio, sed solo veritatis impulsu, minimeque de Bonis & Æquis, dictum esto; nemo non enim videbit, rem ex asse quadrare, & ovum ovo vix similis esse. Æquoque animo feremus, quando nos Lutherani Samaritanis,

quos inter & Judæos postea novercale odium ar-
sit; tunc apertum est asylum, & præsidium fa-
ctum omnibus prioribus erroribus. *Joseph. Antiq.*
lib. II. c. 8. De hoc monte sermocinatur Samari-

H 4

tana

ritanis, modo non fiat vis verbis, omniaque obtortâ
cervice attrahantur, conferre potuerint) alio tamen mo-
do quàm Pontificii, hi propter *hæresin & doctrinam*, illi
propter *alias circumstantias*, quæ sequuntur. [1] *Sama-*
ritani ex Imperio Babylonico egressi fuere, sed aliâ viâ
quàm *Judæi*; res plana est. [2] Ad internecionem ode-
runt Judæos. Sic &c. [3] Singulare templum in monte
Garizim extruxerant, vetantes, ne quis ex suis Judæo-
rum sacra frequentaret. [4] Judæorum rempublicam
atque templum diruere conabantur. Ita quoque Luthe-
rani studere Reformatos contundere, res illorum affli-
gere, & extra omnem pacis à Cæsaribus permissæ condi-
tionem ejicere. Profectò pudet mentalia de iis, quos
fratrum numero accipimus, dici posse. [5] Plurima in
cultu, religione, doctrina cum Judæis communia habe-
bant. Sic Luth. cum nobis. [6] At & in multis Baby-
lonicis conveniebant; Sic Luth. in multis cum spirituali
Babylone. [7] Utque ita Samaritani medii erant inter
Hæreticos, Gentiles Idololatrias, & Orthodoxos; sic Luth.
nec hæretici sunt, nec planè Orthodoxi. Hinc unicuique fa-
cilè patet, *Jehu* regem Samaritanorum insignem *Luth.* Viri
profectò magni, typum fuisse. Etenim: [1] Uti *Jehu* prius erat
minister *Jesabelis*; sic *Lutherus* *Papæ*, spiritualis *Jesabelis*.
[2] Uti *Jehu* à Deo electus ad prosternendam *Jesabelis*
idololatriam; sic *Lutherus*. [3] Uti *Jehu* magno zelo ex-
arsit postmodum contra *Baalitas* pro Dei honore, *2. Reg.*
X. 16. etsi primitus reformationem non intenderet. Sic
Lutherus postea pro domo Dei magno zelo fuit inflamma-
tus, etsi prius reformationem non intenderet, sed post
affixas de indulgentia disputationes, *Papæ* sese submittere
vellet, veniamque precaretur. [4] Uti itaque *Jehu* *Baa-*
litas persecutus est; sic *Lutherus* *Monachos Baalitarum*
nepo-

tana illa mulier. *Job. IV. 20.* *Patres nostri in hoc monte θεοσεκύνησαν adorârunt &c.* Ubi dogmata Pharisæorum cum doctrina Sadducæorum contulerimus, clarescet oppositio insignis inter ipsos, qui tamen uniti Christum aggrediuntur. *Marc. XIII.*

XVII. Quamvis autem hæc Secta inter Judæos crassissima fuerit, suos tamen habuit amicos & buccinatores inter ipsos Pontifices: *Johannes Hircanus* Sadducæus fuit; *Gorionides cap. 29.* Ipsiusque filii *Aristobulus, Alexander,* ut & *Ananus junior,* hujus Sectæ erroribus fuere incrustati, sic ut ipsam Mosis cathedram pestifera errorum hæresiumque contagio occuparit. *Euseb. hist. lib. 2. cap. 23. ex Joseph. Antiq. l. 10. c. 18.*

nepotes. [5] Sed uti Jehu non penitus sustulit aureos Bethelis vitulos. *2. Reg. X. 29.* sic Lutherus reliquit idola Pontificiorum &c. Unde non mirum, apud Prophetas, & præsertim Hoseam, *Reformatos Judam* vocari, *Lutheranos Israel* aut *Ephraimitas,* ut qui erant maxima Israelitarum pars, quique cum Ægyptiis & Assyriis NB. seu Babyloniiis fœdera inibant. *Conf. Hof. VIII. 9-14. IX. 8. 9. XI. 12. XII. 1. XIII. 4. 2. XIV. 9.*

CAP.

CAP. XII.

De Essenis,

I. **D**iversæ sunt etymologiæ nominum *ESSÆ-
DORUM* seu *ESSENORUM*. (1) Eam sen-
tentiam plurimùm facio, quæ derivat
eos à Syriaca voce **עֲסַן** *Asa*, *ἰατροποιεῖν* sanare,
mederi. Hinc viri toties vocantur *ἰατροποῖται*, &
fœminæ *ἰατροποῖτιδες*. *Joseph. de bello J. lib. 2. cap.*
12. p. 786. Licet enim primariò operam darent
Sacris Literis, se tamen totos *Medicinæ* studio
applicuerunt.

II. Horum Essenorum duæ fuerunt species *ἠσκητικοί*, qui *speculationibus* animum pascebant, & *πρακτικοί*, qui huic arti, in qua eximii erant, quotidie
sedulò manus operamque suam tradebant. De
his posterioribus agit *Philo lib. quod omnis vir pro-*
bus &c. De prioribus, *libro seq. de vita contemplativa.*

III. Dogmata, hypothesisque ipsorum ut plu-
rimùm congruunt cum doctrina *Pythagoræ*.
(2) Quamobrem animus est, primò proferre dog-
mata

H s

mata

(1) *Ἐσσαῖοι* **עֲסַיִי** ab aliis derivantur à **עָשָׂה**
fecit, quia fuerunt *πρακτικοί* operarii; ab aliis à **עֲסֵה**
sanctus. Vid. *Drus. de 3. Sect. lib. 4. cap. 5.* Alii dedu-
cunt à **עֲסָה** siluit, quia *accumbentibus decem Essenis,*
nemo locutus est invitis novem, vel quia à communis com-
mercii motu & strepitu remoti egerunt, veluti *Ascetæ*. Alii
à **עֲסַן** etymologiam petunt, quod est *confugere, re-*
cipere se, quòd se in secretiora & solitaria loca receperint.

(2) Quòd quoque *Pythagoras* sua *Philosophiæ* præcep-
ta ab *Hebræis* hauserit, multis testimoniis firmavit Cl.
Seldenus